

benedixit dominum liberatorem, quem intacta viscera Mariae virginis portaverunt et beata ubera lactaverunt.

Cap. 35 [Conversus quidam gravi occultaque infirmitate liberatur]
 Conversus quidam domus nostrae gravem et occultam incidit infirmitatem. Positus ergo in angustia vehementi accessit festinanter ad tumbam beati Conradi et assumens materiam querulandi coepit loqui, acsi praesentem eum cerneret: „O beate Conrade, tibi servitium meum quamvis exiguum devoveo et a te sanitatem tota devotione deosco.“ Nec unigenitus dei filius dedignatus est, sanare eundem conversum, qui toto corde poposcit beati mediatoris patrociniū. Et incolumis factus omnipotenti deo gratias reddidit et deinceps beato Conrado magis devotus extitit. Deinde beatus Conradus eidem converso in somnis apparuit et stringens eum dulci brachiorum amplexu sic ait: „Ecce restituta est tibi sanitatis integritas propter me. Amplius ex praesentis beneficii exhibitione sume firmam certitudinem, quod in omnibus necessitatibus tuis ad me confidenter recurrere poteris.“

Cap. 36 [Conversus alius auditum recuperat ope beati Conradi]
 Unum adhuc miraculum annecto, quod post mortem ipsius primo factum fuit. Conversus quidam domus nostrae tanto laborabat surditatis incommodo, ut infra decem et octo annos obstrusio aurium nullum sonum obiectum intus admitteret. Firma tamen spe fulciebatur, quod inveteratus ille morbus discederet, si aliqua materia reliquiarum beati Conradi potiretur, ex quarum contactu instrumenta auditus foris delinirentur. Cum ergo corpus beati viri positum esset in feretro, idem surdus accedens particulam crinium de corona capitis funeris iacentis detondit, quam statim auribus debilibus imposuit. Mirabile dictu in uno eodemque momento virtus auditiva rediit, quo sacros crines auribus imposuit. Propterea tot et tam diversae sunt sanitates et opitulationes circa diversas necessitates, quas de servo Christi audivimus et cotidie in nobis experimur. De quarum beneficiis merito gloriamur in domino, ut, si duntaxat fratrum nostrorum singulorum singulas conscribere voluerimus, timemus incredulis generare fastidium et fastidiosis incredulitatem.

Cap. 37 [Dictorum epilodus]
 Quisquis igitur summaria epilogatione superiora omnia perstrinxerit et fideli consideratione singula perpenderit, luculenter inveniet, quod conversio beati Conradi mirabiliter facta, conversatio eius sancta et